

## CAPUT II.

## DE SINGULIS LEGIS ELEMENTIS.

## § 1. DE AUCTORE LEGIS.

**86.** Potestas legis ferendae residet in sola societate perfecta, i. e. in societate quae in se completa est adeoque media ad finem suum asse-  
quendum sufficientia in seipsa habet. Jamvero, in genere humano, duae  
tantum sunt societates perfectae, " altera civilis, cuius proximus finis  
est humano generi bonum comparare temporale et mundanum, altera  
religiosa, cuius est homines ad veram illam felicitatem perducere, ad  
quam facti sumus caelestem ac sempiternam. " (Leonis XIII Encycl.  
*Nobilissima Gallorum gens*) Nullus ergo erit legislator nisi qui in  
alterutra illa societate supremam auctoritatem obtineat vel facultatem  
legem ferendi ab eodem acceperit. Haec supponimus in Theologia  
Dogmatica vel Jure Canonico demonstrata.

**87.** Ut determinentur ii qui in **Ecclesia** potestate leges ferendi pol-  
lent, juvat distinguere inter eos qui eam ordinarie habent et eos qui  
tantum obiter illam exercent.

**Ordinarii legislatores in Ecclesia sunt :**

I. *Romanus Pontifex* pro omnibus Ecclesiae subditis. Hoc jus solet  
exercere triplici ratione :

1º Suprema sua auctoritate aliquam Constitutionem edendo qua  
manifestet suam voluntatem omnes fideles obligandi.

2º Particularem legem ferendo pro certo regno, provincia, ordine  
religioso.

Ad vim obligandi quod attinet, respicienda sunt tantum verba  
quae a R. P. adhibentur. Parum autem refert utrum in forma Bullae  
an Brevis vel aliter edatur lex : nam variae formae Constitutionum  
Apostolicarum tantum ad externam sollemnitatem spectant. " Brevia  
Apostolica rite confecta tantam vim habent in illis materiis, in quibus  
conficiuntur, quantam Bullae in ceteris materiis. " (Reiffenstuel in l. 1.  
Deer. tit. 2. n. 18)

3º Edendo decreta vel leges ope variarum Congregationum Roma-  
narum, quando istae non propriae tantum auctoritati permittuntur, sed  
Pontifex documentum, a Congregatione exaratum, suum facit et

suprema jussione confirmat. Exemplo sit decretum „ Quemadmodum „  
de confessario extraordinario et ratione conscientiae, editum 17 Dec.  
1890 per S. Congr. Ep. et Reg. (Vol. II. n. 89)

II. *Episcopus* pro omnibus dioecesanis non exemptis.

Verae legis perpetuitatem procul dubio habent Constitutiones ab  
episcopo in Synodo promulgatae, et probabilius etiam Statuta extra  
Synodus, auditio tamen Capitulo, facta et promulgata. (Bened. XIV. de  
Synodo, l. 13. c. 5. n. 1)

Probabilis tamen videtur sententia, quam post Scavini tradunt Ball. P.  
(n. 4 in nota) et Lehmk. (l. n. 122) : ordinationes ab episcopo extra  
Synodus datas censendas esse veras leges, ideoque perpetuas, tantum  
in duobus casibus : primo, si ipse episcopus hanc voluntatem suam  
expresse manifestaverit; secundo, si ordinatio dioecesanos omnes tum  
clericos tum laicos adstringat.

De conformitate autem quae vigere debet inter episcoporum ordina-  
tiones et universales Ecclesiae leges, haec notat Ill. Aichner (Comp.  
J. Eccl. § 18) : " Possunt quidem esse sanctae praeter jus, non vero  
contra jus universalis Ecclesiae. Unde 1º Episcopi non possunt prohibe-  
re quod per jus universale expresse et indubitanter permissum est  
(nisi canones id eis diserte concedant) et, e converso, non possunt per-  
mittere quod jure universalis prohibitum est. — 2º Valent autem illud  
propius definire quod lege canonica universalis, quoad modum, tempus  
et circumstantias non tam accurate definitum est (v. gr. determinare ut  
pueri infra octo dies sint baptizandi dum canones dicunt tantum  
" quamprimum commode fieri poterit ") aut quod definiendum canones  
episcopis permittant (v. gr. quoad cohabitationem clericorum cum  
mulieribus, quoad venationem et vestitum clericalem.) — 3º Item possunt  
episcopi res, nonnisi probabiliter jure communi permissas, per leges  
dioecesanis vetare (v. gr. nundinas prohibere diebus festivis). "

Patriarchae in Ecclesia latina hodie titulo mere honorifico, sine ulla  
vera jurisdictione fruuntur. Archiepiscopi vero, licet proprie nullam in  
suffraganeos suos jurisdictionem habeant, possunt exercere in ipsis  
jura quaedam ad supplendam eorum neglegentiam vel ad corrigenda  
quaes suffraganei perperam egerint.

III. *Supremi Praelati Ordinum Religiosorum* solent legiferam potes-  
tam in subditos suos habere. Quaenam autem determinatae personae  
vel coetus hac potestate gaudeant, e concessionibus quas RR. PP. sin-  
gulis religiosis ordinibus fecerunt, eruendum est. Sic in Soc. Jesu sola  
Congregatio Generalis potest veri nominis leges condere.

**88. Extraordinarie potestatem legiferam in Ecclesia exercent :**  
I. *Concilia generalia* cum R. P. unita et ab eodem confirmata. Sepo-

nimus hic quaestionem, quam tractant Dogmatici, quid in adjunctis difficultibus Sedis Apostolicae vacantis vel Papae dubii Concilia generalia facere valeant.

**II. Concilia provincialia** pro provincia ecclesiastica ejus episcopi in iisdem adunantur. Idem tenendum pro toto territorio alicujus nationis ejus episcopi, praeside Primate vel Delegato Apostolico, in *Concilium nationale* seu plenarium convenerint. Haec tamen nationalia concilia tantum de expresso mandato seu licentia Sed. Ap. convocari possunt.

Ut autem horum conciliorum partialium decreta vim obligandi obtinent, requiritur ut a Sed. Ap. revisa fuerint. Quae revisio, in hodierna disciplina, in hoc consistit quod acta Concilii ad S. Congr. Conc. vel Prop. Fidei transmittuntur, a qua examini subjiciuntur et, si quid minus rectum irreperitur, corriguntur. Facta hac revisione, decreta Concilii promulgari permittuntur, neque antequam haec promulgatio facta sit, vim obligandi obtinent. (1)

Per hujusmodi revisionem illa Synodorum particularium decreta nequaquam vim legum Pontificiarum accipiunt, etiam pro illa provincia vel natione pro qua lata sunt. Ad hoc enim requiretur approbatio quam vocant "in forma specifica", cui scil. "praemittitur causae cognitio et singula statuta diligenter expenduntur ac deinde, nulla adjecta condicione, auctoritate Apostolica, cum clausula *motu proprio atque ex certa scientia confirmantur.*" (Bened. XIV. de Syn. l. 13. c. 5. n. 11. collato c. 3. n. 4)

**III. Capitulum sede vacante, seu Vicarius capitularis**, quamquam nihil innovare potest in iis quae pertinent ad episcopi dignitatem et jura, probabilius habet potestatem ferendi leges, cum in potestatem episcopi defuncti succedat. (Reiff. l. c. n. 89 seq.) Nullam vero potestatem condendi leges habent Superiorissae monialium, utpote jurisdictione carentes.

**89.** Ad nostram disciplinam non pertinet determinare quinam in **societate civili** legiferam potestatem habeant. Quaestio haec e variis populorum *Constitutionibus* hodie solvenda est. Interdum apud unum supremum regni moderatorem, interdum apud plures sive personas, sive corpora moralia residet potestas legifera. Sic in Belgio collective exercetur a Rege, Deputatorum Camera et Senatu. (Constit. Belg. a. 26)

Si gubernium aliquod illegitime quidem, sed pacifice, regnum obtinet, regnicolae ejus leges servare tenentur, quatenus hoc necessarium est

(1) Cfr. Aeta et Decreta Conc. Plen. Baltimor. 3*i*. Ex Decreto promulgationis et Decreto recognitionis quae iisdem praemittuntur clare patet qua ratione hodie leges conciliorum particularium a S. Sede approbentur.

ne ordo socialis perturbetur. Nam societas sine aliquo legali ordine subsistere nequit; alias autem ordo in casu impossibilis est. In hoc sensu generatim licebit fidelitatem eidem gubernio jurejurando promittere. Insuper licet multa praestare quae in se indifferentia sunt, cedunt tamen in utilitatem injusti gubernii, ut agere excubias, tributa solvere, etc. Haec enim sine gravissimo incommodo a subditis recusari nequeunt, neque talis resistentia legitimo principi prodesse: unde is in ea consentire censetur. Illicita vero sunt quaecumque tendunt ad usurpatiōnem confirmandam et fovendam, vel ad principem legitimū laedendum aut impediendum ne regnum suum recuperet: siquidem illius jus laedunt. (Ball. P. n. 13 seqq.)

## § 2. DE LEGIS OBJECTO.

**90.** Ex ipsa legis definitione patet ejus materiam esse posse id omne et solum quod ad bonum commune conducere potest. Si autem de objecto alicujus legis determinatae quaeritur, erit illud omne et solum quod honeste et practice ordinari potest ad finem quem singulæ societas sibi praefigunt assequendum. Sic legis civilis objectum esse potest quidquid honeste et practice ad temporalem felicitatem civium conducit.

**91. QUAER. I.** Num actus heroici i. e. qui extraordinariam difficultatem superandam praebent, lege praecipi possint.

**RESP.** Liqueat hujusmodi actus lege divina praecipi posse, tum ob supremum Dei in homines dominium, tum quia Deus gratia sua debilem voluntatem adjuvare nimiamque difficultatem levare potest. Generatim vero non potest lex humana, civilis vel ecclesiastica, hujusmodi actus imponere. Idem dic de Superiore praeceptum dante. Ratio est quia rem moraliter impossibilem juberet. (n. 83)

*Excipe:* 1º Si bonum communе praevalens poscit ut talis actus privato imponatur. Sic miles jubetur, tempore belli, sese exponere imminentis mortis periculo ad patriam tuendam.

2º Si quis libere amplexus est statum cui annexa est talis obligatio, ex. gr. proficisci ad missiones maxime periculosas.

3º Si Superior judicat aliquid esse moraliter necessarium ad status alicujus conservationem. Sic videntur Bonifacius P. VIII et Conc. Trid. (Sess. 25. c. 5. de Reg.) perpetuam clausuram imposuisse etiam illis monialibus quae ex regula ad eam non tenebantur. Ratio est, quod assumendo aliquem statum virtualiter nos obligamus ad ea quae in tali statu sunt moraliter necessaria. Cfr. Suar. de Relig. t. 4. tr. 8. l. 1. c. 8. n. 8.

**92. QUAER. II.** Num actus interni lege humana praecipi possint.

**RESP.** Claritatis causa juvat triplicem speciem actuum discernere : externos, qui scil. organis corporeis externis perficiuntur, ex. gr. solvere tributum, infantem ad baptismum ferre ; mere internos, qui solis potentis internis perficiuntur, ex. gr. emittere volum, meditari ; mixtos, qui partim internis potentis, partim externis organis absolvuntur, ex. gr. celebrare Missam cum intentione consecrandi. Videlicet,

*Certum est* : 1º Lege civili actus mere internos praecipi non posse : hi enim ad finem societatis civilis conferre nequeunt. Potest tamen eadem lex praecipere actus mixtos, ex. gr. juramentum, quod praestari nequit ut oportet sine interno religionis actu.

2º Ecclesiam praecipere posse actus mixtos, etiam actus externos occultos : hi enim ejusdem generis sunt ac ceteri qui cognosci possunt, neque ullum dubium praxis relinquit.

3º Potestatem fori poenitentialis se ad actus mere internos injungendos extendere. Constat ex praxi et ex utilitate talium actuum ad finem ad quem Christus hoc forum instituit.

4º Ecclesiam posse praecipere actus mere internos indirecte, quod facit : a) ubi interpretatur vel determinat legem seu jus divinum : sic definiendo fidei articulum, internae fidei obligationem imponit ; — b) ubi, favorem aliquem largiendo, actum mere internum tamquam conditionem ponit : sic requirit meditationem de Passione Christi ad lucrandas indulgentias Viae crucis ; — c) quando aliquis se sponte obligavit ad parendum alii etiam actus mere internos praecipienti.

*Disputatur* num Ecclesia actus internos directe et absolute praecipere possit. Negantem sententiam tenent S. Thomas, Suarez, S. Alph. et plerique DD. Pro affirmante stant quidam antiquiores AA., ut Elbel, Schmier et plures e recentioribus, ut Ball. P. (n. 122 seqq.) et Bouquillon (Theol. Mor. fund. p. 259 seqq.); in hanc partem propendet Lehmkuhl (I. n. 132).

Rationes praecipuae negantium sunt : 1º Non potuit talis potestas Ecclesiae concedi, quia repugnat ut leges ferantur de actibus quos judex punire nequit. — 2º Non debuit conferri, quia Ecclesia est corpus visibile, et ideo materia accommodata ad ejus communem et externam gubernationem debet esse et ipsa sensibilis et externa.

His respondent adversae sententiae patroni : ad 1<sup>um</sup>) Ecclesia saepe praecipit sine externa sanctione, delinquentes relinquendo propriae conscientiae et iudicio divino ; imo posset, absolute loquendo, eos qui legem de actu mere interno violarent punire per poenam seu censuram latae sententiae ; — ad 2<sup>um</sup>) Potestas illa est omnino consona indoli et fini Ecclesiae quae societas est supernaturalis, ad animarum sanctifica-

tionem instituta. Igitur potestas circa actus internos comprehenditur connaturaliter in generali potestate legifera Ecclesiae concessa ; limitatio ad actus externos et mixtos admittenda non est nisi clare probetur.

Ad proxim parum conductit haec disputatio ob multiplicem potestatem indirectam in actus internos quam omnes in Ecclesia agnoscunt.

### § 3 DE LEGIS SUBJECTO.

**93. PRINCPIA. I.** Omnes homines sunt **legi naturali** subditi, etiam ii qui habitualiter rationis usu carent, ut infantes et perpetuo amentes. Ratio est, quod in omnibus est natura humana pro qua illa lex lata est ; unde quidquid objective legi naturali repugnat, ex. gr. fornicatio, involvit inordinationem naturae rationali repugnantem. Si qui AA. ut Laymann (l. 1. tr. 4. c. 10), negant infantes et perpetuo amentes ullis legibus subjici, intellegi possunt de subjectione perfecta et in actu secundo ita ut peccare possint eam violando.

Inde sequitur peccare eos qui infantes vei amentes ad actus legi naturali contrarios, ex. gr. ad blasphemias, provocant. Haec enim, quae veram inordinationem inducunt, tribunntur principali agenti qui infante vel amente tamquam instrumento utitur. (Laymann, l. c. n. 3) Adde : interdum dari scandalum videntibus vel audientibus, interdum foveri in infantibus habitus qui postea ad peccatum formale ducant, ex. gr. si nutrix docet infantem verenda mulcere.

Notandum aliud esse quod aliquis lege non teneatur, aliud quod a lege excusat, quamvis ei subditus sit. Talis excusatio haberi potest per ignorantiam, ebrietatem, dementiam transeuntem et similia. Cfr. dicta in tr. de Act. Hum. cap. III.

**94. II. Legi ecclesiasticae universali** subditi sunt omnes et soli baptizati, habitualiter ratione utentes.

Ratio est, quod omnes et soli baptizati societatem supernaturalem Ecclesiae ingressi sunt ideoque ad ejus finem per leges idoneas ducendi sunt. Cfr. Conc. Trid. Sess. 14. c. 2. Ad hunc tamen finem duci nequeunt per regulam positivam et externam nisi habitualiter ratione polleant. Hinc,

1º Legibus ecclesiasticis minime tenentur infideles seu non baptizati, ac proinde per se licet eis opera servilia die Dominica imponere.

2º Iisdem legibus non tenentur catechumeni, quamvis utiliter plerunque ab iis earum observantia exigatur tamquam condicio sub qua ad baptismum admittantur.

3º Tenentur per se haeretici et schismatici qui baptismum acce-